



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 97. Strigellii Protestantis interitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

ut ambo hi libri sint veluti commentarii in totum sacrum Codicem. Denique septimus, & octavus concinnati sunt contra hæreticos tam recentiores, quam veteres, necnon illos, qui librorum Veteris, & novi Testamenti auctoritatem impugnant. Ceterum quamvis hoc opus summa eruditione conscriptum sit, observat tamen Dupinus, quod optandum foret, ut hic auctor quasdam materias profundius pertractasset, atque alias levius percurrisset, nonnullas autem, quæ vel nullius sunt utilitatis, vel ad rem nihil conducunt, omnino prætermisisset.

§. XCVII.

Strigellii Protestantis interitus.

Victorinus Strigellius, qui eodem hoc anno obiit, natione Germanus Kaufburi imperiali Sueviæ urbe die vigesima sexta Decembris Anno ab Incarnatione Dominica millesimo quingentesimo vigesimo quarto primam lucem aspexit. Erat is inter Protestantes magni nominis Theologus; postquam enim Wittembergæ Lutheri, & Melanchtone Magistris literas didicerat, atque Anno restauratæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo quarto liberalium artium Magister creatus erat, Wittembergæ primum, &

Secul. XVI.
A.C. 1569.

Thuan. l. 46.
pag. 615.
Melchior
Adam in
vit. Theol.
Germ.

D d 3

postea

Sæcul. XVI.
A C. 1569.

postea Magdeburgi, Erfordix, ac Jense, ubi uxorem duxerat, necnon Lipsix & Heidelbergæ Theologiam tradiderat, ubi etiam a sui ævi doctissimis plurimum habebatur. Intererat quoque Eisenach colloquio per Augustum Saxonix Electorem circa Annum Christi millesimum quingentesimum quinquagesimum sextum convocato, ut ibidem quædam Religionis dubia circa bonorum operum necessitatem deciderentur: porro progressu temporis aliorum Theologorum vexationi expositus die vigesima septima Martii Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo nono in carceres coniectus est, ibidem integro triennio hæerere coactus, nec minus postea hostium suorum invidia adactus sæpe hinc inde vagari compellebatur, tandem vero Heidelbergæ die vigesima quinta Junii nonnisi quadraginta quinque annos natus fatis functus est. Præcipua, quæ posteris reliquit, ingenii monumenta sunt I. epitome de notitia primi motus. II. Argumenta, & Scholia in vetus, novumque Testamentum. III. Tres partes locorum communium. IV. Enchiridion, seu Manuale locorum Theologorum. V. Scholæ Historicæ a creatione Mundi usque ad Christi Nativitatem.

§.XCVIII